

minium et Mediolani ducem ad rationem coeterarum rerum quas contribuent. Exercitus autem iste conservabitur integer usque ad confectum pro pacanda Italia bellum, idest quoad profligati fuerint quantum Italiae quietem perturbaverint aut eorum exercitus deletus sit poenitus, aut ita debilitatus et destitutus ut reliquiae se in aliquam civitatem aut locum munitum ad se tuendum recipere cogantur, nec valeant amplius exire, seu in campo convenire aut castrametari, quo casu confoederatorum exercitus resolvi poterit, reservatis tantummodo copiis necessariis ad illas reliquias abolendas arces quoque si quae erunt maioris momenti capiendas, et hoc ad arbitrium eorum qui exercitui praeerunt; ad quas copias alendas contribuet unusquisque collata ratione ad id quod antea contribuebat quantum satis erit.

Promittit insuper Rex ipse Christianissimus confoederatis bellum in Italia gerentibus praefatis de causis se pariter citra montes contra quemcumque qui praefatorum confoederatorum hostis esset habiturum exercitum paratum ad divertendas et occupandas illius hostis vires ne novas copias vel auxilia adversus confoederatos in Italiam transmittere valeat, illius quoque statum invasurum eodem tempore quo bellum in Italia incohatur cum valido exercitu qui ad minus sit duorum millium cataphractorum equitum et peditum sufficienti numero; nec solum terrestribus sed maritimis etiam viribus bellum terra marique adversus quoslibet confoederatorum hostes gesturum.

Item conventum est, ut in praefato exercitu conflando ipsi confoederati eum numerum Helvetiorum peditum conducant qui ipse conducendus esse videbitur, qua quidem in re Christianissimus Rex Franciae auctoritate qua apud eos pollet praestabit omnem operam, ut honestis conditionibus convenienti stipendio et quamprimum accedant.

Item, cum hoc sanctissimum foedus ut superius dictum est ineatur tum ad salutem, securitatem et quietem ipsorum principum contrahentium eorumque statum et dominiorum, tum ad universam rempublicam christianam pacandam, conventum est ut a praefatorum oratoribus confoederatorum cum primum praesens tractatus ratificatus fuerit eorum omnium verbis requiratur et rogetur serenissimus princeps in Imperatorem electus ut pro universae reipublicae christianae salute et pace illustrissimos Christianissimi Regis filios maiestati suae benigne restituere velit modo quo supradictum est, ac eum eo dimissis omnibus simultatibus veram honestam

ac voluntariam pacem stabilire cuiusquidem ita constituendae pacis ut firma ac stabilis credi possit, nulla alia ratio iniri potest nec ullis aetioribus vinculis ligari valet, Rex ipse cum Caesarea Maiestate quam eo beneficio restitutionis filiorum; quod si facere renuerit ei denunciabitur praefatos principes nihil esse praetermissuros quousque id effecerint; quamobrem ad id exequendum pariter conventum est quod confectis in Italia rebus quae per praesentem capitulationem designantur, modo contento in tertio praesentis foederis articulo, ad omnem requisitionem Christianissimi Regis praestari debeant per ipsos confoederatos auxilia decem millium peditum, mille cataphractorum et mille quingentorum levis armaturae equitum aut pecuniae sufficientes loco ipsarum copiarum ad optionem Christianissimi Regis, ad omnem operam praestandam bellumque peragendum quousque Maiestati suae illustrissimi eius filii libere dimittantur.

Praeterea pollicentur sibi invicem, videlicet confoederati Italiae ex una et Christianissimus Rex Franciae ex altera parte, mutuo sibi auxiliari ac sese perpetuo defendere a quocumque quietem et pacificum eorum statum perturbare aut invadere volente, mittendo sibi invicem auxilia decem millium peditum, mille gravis et mille levis armaturae equitum, distributo inter ipsos italos sumptu pro viribus cuiusque ad taxam superioribus articulis commemoratam.

Item, cum ad praedictas res peragendas requirantur non solum terrestres, verum etiam maritimas vires paratas habere, conventum est ut classis instruat ad minus viginti octo trirremium et aliarum navium onerariarum usque ad eum numerum qui ab ipsis confoederatis oportunus iudicabitur; ad quam classem parandam, Christianissimus Rex Franciae praestabit duodecim triremes propriis sumptibus instructas et armatas quae etiam praesto sint infra superius declaratum tempus ad navigandum ad quamlibet Italiae partem ipsis confoederatis opus esse videbitur, paratis pariter et instructis illis trireribus et naves onerarias quotquot commode poterit, sumptibus tamen Sanctissimi Domini nostri Papae, illustrissimi Ducis inclitque Venetorum domini tredecim alias triremes suis sumptibus instructas et armatas praestabit Illustrissimum Venetorum Dominium, reliquas vero tres Sanctissimus Dominus noster Papa praestabit. Contribuet tamen dux Mediolani ad eum sumptum in progressu belli perferendum quod honestum videbitur: posset autem is numerus aliquantulum imminui casu quo civitas Januensis coeteris confoederatis adhesisset praestan-